

HISTORIA DIPLOMATICA  
FRIDERICI SECUNDI

SIVE

CONSTITUTIONES, PRIVILEGIA, MANDATA, INSTRUMENTA QUÆ SUPERSUNT  
ISTIUS IMPERATORIS ET FILIORUM EJUS.

ACCEDUNT EPISTOLAE PAPANUM ET DOCUMENTA VARIA.

COLLEGIT, AD FIDEM CHARTARUM ET CODICUM RECENSUIT, JUXTA SERIEM ANNORUM DISPOSUIT  
ET NOTIS ILLUSTRAVIT

J.-L.-A. HUILLARD-BRÉHOLLES.

AUSPICIIS ET SUMPTIBUS

H. DE ALBERTIS DE LUYNES,

UNIVS EX ACADEMIAE INSCRIPTIONUM SOCIIS.

---

TOMUS II.

PARS I.

---

---

PARISIIS

EXCUDEBANT PLON FRATRES,

36, VIA DICTA VAUGIRARD.

MDCCCLII.

Friderici Romanorum imperatoris mandata varia super reformatione seu ordinatione studii generalis apud Neapolim (1). [Julio circiter.]

## I.

(Edit. ap. PETR. DE VINEIS, *Epistol.*, lib. III, cap. XII, et ap. MARTENE et DURAND, *Ampliss. Collect.*, t. II, col. 1208. Apud istos autem, ex fide codicis Colbertini (nunc 8567, *anc. fonds latin*): *Conradus, etc., justitiario, etc.* Epistola enim optime anno 1253 convenit, quo Conradus, Friderici secundi filius, odio in Neapolitanos succensus studium universale in Salernitana civitate instituit. Sed quum omnes qui de studio Neapolitano disseruerunt, et prae aliis Origlia, hanc epistolam Friderico nostro tribuerint, ad suum locum eandem apponimus. Nihil insuper obstat quin mandatum patris sui, nomine civitatis mutato, renovaverit Conradus. Manfredus quoque, tempore quo universale studium apud Neapolim restauravit, in eundem sensum et quasi in eadem verba se convertit. Cf. MARTENE, *ibid.*, col. 1218, n° CI.)

[Fridericus, etc. capitaneo Sicilie, etc.] Sollicitudo continua curas nostras exagitat, qualiter regnum nostrum Sicilie, naturaliter rerum victualium (a) ubertate fecundum, prudentum virorum copia nostris temporibus artificialiter decoremus; ut fideles nostri regnicole scientiarum fructus, quos indesinenter esuriunt, per aliena mendicare (b) suffragia non coacti, paratam in regno sibi mensam propinationis (c) inveniant: et quos ingeniorum nativa (d) fertilitas ad consilia reddit alta conspi-

(a) Ap. Martene *vitalium*.

(b) Ap. Martene: *quos indifferenter excurrunt, per aliena querere pomeria non coacti*.

(c) Ap. Martene *propositionis*, minus recte.

(d) *Ibidem voliva*.

---

(1) « 1224, mense julio, pro ordinando studio Neapolitano imperator ubique per regnum » mittit litteras generales. » RICCI. DE S. GERARDI, *Chronic. ad ann.*

cuos, literarum scientia faciat eruditos. Ad quod licet progenitorum nostrorum nos clara prioritas invitet exemplis, dum eorum temporibus sic diversarum scientiarum in regno studia floruisse comperimus, ut non solum ad incolas filios, sed ad extraneos etiam extendisse probetur suavitate odoris; nos tamen super hoc tanto libentius sine cujusquam inductione concurrimus (a) quanto per hoc utilius honori nostro consuere credimus, et exaltationem omnimodam regni nostri omni qua possumus diligentia procuramus. Volentes itaque super hoc antiquorum gratam renovare temperiem, et regni nostri fastigia tripudialibus novitatis nostre principiis (b) augmentare, universale studium in civitate nostra Neapolis (c), consulta nuper deliberatione, providimus reformatum: ut civitas ipsa antiqua mater et domus studii, sicut puritate fidei et situs amenitate prefulget, sic renovata quasi paranympa scientie et singularium hospitalaria facultatum, docentibus et addiscentibus se prebeat gratiosam. Ad hoc igitur tam salubre convivium magistros quoslibet et scholares hilariter invitamus; fidelitati tue mandantes quatenus presens beneplacitum nostrum per jurisdictionem tuam sollemniter studeas publicare, firmam singulis fiduciam oblaturus quod immunitates et libertates omnes, quibus olim (d) tam in Neapolitano quam in Salernitano studio uti et gaudere sunt soliti, faciemus universis et singulis illuc ire volentibus inviolabiliter observari.

## II.

(Edit. ap. PETR. DE VINEIS, *Epist.*, lib. III, cap. X. Quae sicut praecedens optime Conrado convenit, ut testatur codex Rhedigerianus Vratislaviensis, n° 47: « Conradus Dei gratia Romanorum in regem electus, Jerusalem et Siciliae rex, Petro de Casoli gratiam suam et bonam voluntatem. Noster instanter, etc. Cumque civitatem *Salerni* antiquam profecto matrem et domum

(a) Ap. Martene *concutimur*, minus recte.

(b) Ap. Martene *primitiis*. Hunc locum Conrado potius quam Friderico convenire quis negabit?

(c) Ap. Martene *Salerni*; in plerisque codicibus *Neapolis*.

(d) Ap. Martene haec adduntur: *tempore divi Augusti [patris nostri]*.

» studii, etc. Datum in obsidione Neapolis. » Hic tamen post collationem codicum accurate factam denuo edimus, ex causis quas supra expressimus.)

Fridericus, etc., magistro Petro de Ysernia (a), etc. Noster instanter, quem in subditorum semper emolumenta dirigimus, sollicitatur affectus, qualiter regni nostri Sicilie preclara possessio, sicut rerum ubertate victualium ad dispositionem divini numinis natura profluente tripudiat, sic ad nostre provisionis edictum virorum perfectione scientium, fortuna favente, valeat fecundari. Ad quod etsi progenitorum nostrorum nos memoranda prioritas invitet exemplis, dum diversarum scientiarum doctores dudum in regno comperimus et multos artium liberalium munimentis provectos ad ardua, quos innata ruditas honoris et glorie reddidisset indignos, sic nos super his et priorum tempora reviviscere volumus ut que per intervalla quantalibet quassata videntur, jam passa desidiam sub juventutis nostre primordiis (b) similiter juvenescant : ac dum fideles nostri regnicole paratam sibi mensam propinationis (c) inspexerint, non solum supervacuum sibi reputent aliena proinde flagitare suffragia, sed gloriosum existiment extraneos alios ad gratitudinis hujusmodi participium evocare. Cumque civitatem Neapolitanam, antiquam utique matrem et domum studii, tam marine vicinitatis habilitas quam terrene fertilitatis fecunditas reddant utiliter tanto negotio congruentem, generale studium in civitate ipsa mandavimus reformari, ut quam localis amenitas plenitudine rerum gratificat, docentibus et addiscentibus undique collecta commoditas efficiat gratiosam. Te igitur quem antique fidei prescripta synceritas et prestita dudum felicis recordationis domino patri nostro grata servitia nobis efficaciter recommendant, de cujus etiam experta scientia, probitate cognita et doctrina probata in conspectu nostro jam pluries multorum testimonia claruerunt, ad celebranda communis studii ejusdem festiva solennia hilariter providimus

(a) In impresso *de Hybernia*. De hoc nomine vide infra, p. 451, not. (b). Una cum Origlia, *Istor. dello studio di Napoli*, t. I, p. 43, *de Ysernia* veram esse lectionem arbitramur.

(b) Vid. supra p. 448, not. (b).

(c) In impresso *propositionis*, male.

invitandum; fidelitati tue precipiendo mandantes quatenus de favore et gratia nostra securus, ad civitatem ipsam, ob reverentiam majestatis nostre, personaliter rectorus accedas. Et ut certam concipias de nostre gratie liberalitate fiduciam, firmiter te tenere volumus quod in adventu tuo, in signum secundioris auspicii, de valore annuo XII unciarum auri (a) tibi faciat nostra munificentia provideri.

### III.

(Edit. ap. PERR. DE VIN., *Epist.*, lib. III, cap. XI, nunc coll. cum variis codicibus inferius expressis.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, Jerusalem (sic) et Sicilie rex, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum prelatibus, marchionibus, comitibus, baronibus, justiciariis, camerariis, comestabilibus, bajulis, iudicibus et universis per regnum Sicilie constitutis, fidelibus suis, presentes litteras inspecturis gratiam suam et bonam voluntatem (b). Deo propitio, per quem vivimus et regnamus, cui omnes actus nostros offerimus, cui omne quod agimus imputamus, in regnum nostrum desideramus multos prudenter et providos fieri per scientiarum haustum et seminarium doctrinarum: qui facti discreti per studium et per observationem justis Deo serviant, cui serviunt omnia, et nobis placeant per cultum justicie, cujus preceptis omnes precipimus obedire. Disponimus autem apud Neapolim, amenissimam civitatem, doceri artes cujuscunque professionis [et] vigere studia: ut jejuni et famelici doctrinarum in ipso regno inveniant unde ipsorum aviditati satisfiat, neque compellantur ad investigandas scientias peregrinas nationes expetere,

(a) *X unciarum auri*. Cod. S. Audom. 180-8-4, et Cod. Parisiens., 8626. — *XIX unciarum auri*. Cod. Parisiens., 8630. — *XX unciarum auri*. Cod. Argentin. G. 504. — *XL unciarum auri*. Cod. Cotton. Vespas. A, XI. Numerus tamen quem ex impresso admittimus ad plerorumque codicum fidem, pretio rerum et pecunie tunc temporis usitato melius convenire videtur; in epistola Conradi legitur quoque *XII unciarum auri*.

(b) Haec supplentur ex cod. Cotton. Vespas. A, XI.

nec in alienis regionibus mendicare. Bonum autem hoc rei nostre publice profuturum intendimus, cum subjectorum commoda speciali quadam affectionis gratia providemus, quos sicut convenit eruditos pulcherrima poterit spes fovere, et bona plurima promptis animis expectare; cum sterilis esse non possit accessio, quam nobilitas sequitur. Cum tribunalia preparantur, sequuntur lucra divitiarum, favor et gratia comparantur. Insuper studiosos viros ad servitia nostra, non sine meritis et laudibus, convocamus, secure illis qui discreti fuerunt per instantiam studii, juris et justicie regimina committentes. Hilares igitur et prompti satis ad professiones quas scholares desiderant animentur, quibus ad inhabitandum eum locum concedimus, ubi rerum copia, ubi ample domus et spatiose satis, et ubi mores civium sunt benigni; ubi etiam necessaria vite hominum per terras et maritimas facile transvehuntur, quibus per nos ipsos utilitates querimus, conditiones disponimus, magistris investigamus, bona promittimus, et eis quos dignos viderimus donaria conferemus. Illos siquidem in conspectu parentum suorum ponimus, a multis laboribus liberamus, a longis itineribus et quasi peregrinis absolvimus: illos tutos facimus ab insidiis predatorum; et qui spoliabantur fortunis suis et rebus, longa terrarum spacia peragrantes, scholas suas levioribus sumptibus et brevioribus cursibus a liberalitate nostra se gaudeant assecutos. De numero autem doctorum (a), quos ibi duximus destinandos, mittimus magistrum R. de Benevento judicem et magistrum Petrum de Ysernia (b), fideles nostros, civilis scientie profes-

(a) Ita ex cod. Harl. 325. In impresso autem et in plerisque codicibus *prelatorum*.

(b) In impresso *R. de Varano judicem et magistrum B. de Hybernia*. Codicem Cotton. Vespas. A, XI hic sequimur, nisi quod *Ybernia* correximus. Varias autem variorum codicum lectiones exhibemus: Inter Parisienses, Notre-Dame, 202, *R. de Isernia*; Navarre, 17, *R. de Ysernia*; fonds latin, 8566, *magistrum R. de Padua* (?) et *magistrum R. de.....*; fonds latin, 8604, *R. de Guarcino et*. — Inter Anglicos, cod. Harl., 325, *magistrum Angelum de..... judicem et magistrum B. de.....*; Cod. Bodl., 136, *R. de Warcino et B. de Ysernia*; Cod. Bodl., 816, *magistrum R. de Sancto Victore judicem et magistrum B. de Ysernia*; Cod. Phillipps. ap. Middlehill, 8390, *R. de Ysernia et P. de Panormo*. — Inter Germanicos, Cod. Trevir., *R. de Guarano et*; cod. gymn. ap. Confluentiam, 73, *A. de C. judicem et magistrum R. de FF.* (?); cod. Guel-

sores, viros magne scientie, note virtutis et fidelis experientie, quam nostre semper exhibuerunt et exhibent majestati, de quibus, sicut de aliquibus regni nostri fidelibus, fiduciam gerimus pleniorum. Mittimus quoque. . . . et. . . . in tali scientia et. . . . et. . . . in tali scientia, etc. Volumus igitur et mandamus vobis omnibus qui provincias regitis, qui que administrationibus presidetis ut hec omnia passim et publice proponatis, et injungatis sub pena personarum et rerum ut nullus scholaris legendi causa exire audeat extra regnum, nec infra regnum aliquis addiscere audeat alibi vel docere : et qui de regno sunt extra regnum in scholis, sub pena predicta eorum parentibus injungatis ut usque ad festum Sancti Michaelis nunc proximo revertantur. Conditiones autem quas scholaribus concedimus erunt iste : In primis, quod in civitate predicta doctores et magistri erunt in qualibet facultate. Scholares autem, undecunque venerint, secure veniant morando, stando, et redeundo, tam in personis quam in rebus nullam sentientes in aliquo lesionem. Hospitium quod melius in civitate fuerit scholaribus locabitur, pro duarum unciarum auri annua pensione, nec ultra extimatio ejus ascendet. Infra predictam autem summam et usque ad illam, omnia hospitium extimatione duorum civium et duorum scholarium locabuntur. Mutuum fiet scholaribus ab illis qui ad hoc fuerint ordinati, secundum quod eis necesse fuerit, datis libris in pignore et precario restitutis, receptis a scholaribus fideijussoribus pro eisdem. Scholaris vero qui mutuum recipiet, jurabit quod de terra aliquatenus non recedet, donec precaria restituet, vel mutuum ab eo fuerit exsolutum, vel alias satisfactum fuerit creditori. Predicta autem precaria a creditoribus non revocabuntur, quam diu scholares voluerint in studio permanere. Item omnes scholares in civilibus sub eisdem doctoribus et magistris debeant conveniri. Omnes igitur amodo, qui studere voluerint in aliqua facultate, vadant Neapolim ad studendum, et nullus ausus sit pro scholis extra regnum exire, vel infra regnum in aliis scholis addiscere vel docere : et

ferb. Aug. 13-4, *R. de Ysernia et P. de Vanorovo* (?). In Cod. Berolin. 188, reperitur hic titulus ad epist. Petri de Vineis, lib. IV, cap. 8 : *Doloris littere de morte magistri P. de Ybernia*, et agitur de grammatico.

qui sunt de regno extra regnum in scholis, usque ad festum Sancti Michaelis proximum venturum sine mora dispendio revertantur. De frumento autem, vino, carnibus, piscibus, et aliis que ad victum pertinent, modum nullum statuimus, cum in his omnibus abundet provincia; quae vendantur scholaribus secundum quod venduntur civibus et etiam per contradam, etc.

## IV.

(Edit. ap. PETRI DE VIN., *Epist.*, lib. III, cap. XIII; coll. cum codicibus Biblioth. Paris.)

Fredericus, etc., justitiario Terre Laboris, etc. Etsi ad perfectionem studii generalis, quod nuper in civitate Neapoli (a) providimus reformandum, particularia studia ubique per regnum mandaverimus interdici, nostre tamen intentionis non fuit sic loca quelibet depauperare doctoribus, ut artis saltem grammaticae rudimenta noviciis, velut lactantis matris ubera famelicis infantibus, precipiantur: sed ad illos tantum extendi volumus nostre serenitatis edictum, qui auditoribus suis, ruditate deposita, in facultatibus aliis ingenia potiora petentibus, cibos jam possint scientiae solidos ministrare. Propter quod fidelitati tuae precipiendo mandamus, quatenus magistris quibuslibet, qui per terram jurisdictionis tuae pueros in artis grammaticae primitiis edocent, nullam occasione predicta molestiam inferas, sed particularia eorum studia regere sine impedimento quolibet patiaris.

---

Fridericus, Romanorum imperator, Pafnutium abbatem et conventum monasterii Petri et Pauli de Spanopetro in tenimento Arenarum cum omnibus eorum bonis sub sua protectione recipit.

Syracusae,  
augusto.

(a) In cod. Paris., 8567, *Salernitana*. Unde etiam hoc mandatum a Conrado renovatum fuisse videtur.